

est creditor, quod debitum repetere nolit, vel ab eo tantum; et tunc ille solus liberatur, et non hæredes ejus; vel à nullo, et tunc exceptio ista prodest etiam hæredibus debitoris. Nam tali pacto prior obligatio non tollitur, cum pactum non sit modus tollendi obligationem (l. 27. §. *pactus, ff. de pactis.*), sed tantum ex illo nascitur exceptio, qua creditoris actio elidatur (§. 3. h. t. in *Inst.*)

X. *Exceptio jurisjurandi* competit ei, qui juravit rem suam esse, vel se non debere, si tale juramentum ab actore ei delatum sit (§. 4. *eod.*) Hæc exempla exceptionum affert *Imp. tit. In. de except.*, quibus plura alia addi possunt ex *Digestis*.

XI. *Exceptio rescripti moratorii* seu *dilatorii* competit debitori ex casu facultatibus lapsa, cui Princeps dilationem debiti concedit ad certum tempus, ut triennium vel quinquennium. Et cum dilatio ista minuat debitum illud differendo, sequitur hanc exceptionem esse realem, et consequenter fidejussori competere, sicut alias exceptiones reales (l. 7. ff. h. t. l. *fin. in fin. C. de usur. rei jud.*)

XII. *Exceptio competentiae* conceditur marito, patri, patruo, socio, donatori (§. 37. et seq. *In. de act.*), militi terrestri (l. 6. ff. *de re jud.*), et militi cælesti seu Clerico (c. 3. *de solut.*), ne in solidum condemnetur, seu quam possint, salva competenti et honesta sustentatione. Hæc exceptio est pure personalis, adeoque personam non egreditur, nec directè prodest fidejussori (l. 7. pr. ff. h. t.); sed solum indirectè, quatenus fidejussor ventus à creditore adigere potest debitorem principalem, ut is, suscepto iudicio in propria persona, opponat exceptionem competentiae (lib. 40. §. *perult. ff. mandati.*)

XIII. *Exceptio de eo, quod onerandæ seu comprimendæ libertatis causa factum est*: ut si dominus servum ultrò manumittat, et deinde ab eo pecuniam stipuletur, non tam ut eam exigat, quam ut libertum sibi obnoxium, reverentem ac timentem habeat (l. 1. ff. *quar. rer. actio. non detur.*)

Sunt præterea aliæ innumeræ exceptiones, ut Scti. Maced., Vellejani, cessionis honorum, quæ personalis est, quærelæ inofficiosi, minoris ætatis, litigiosi, dum res litigiosa alienatur, compensationis, transactionis etc.

232. Q. *Quid sit replicatio, et quid juris circa eam?*

R. 1.º Replicatio est exceptionis elisio, qua actor reum contra se excipientem repellit (l. 2. ff. et l. 40. C. h. t. et pr. *In. de replicat.*), ubi causa ponitur, cur admittendæ sint replicationes contra exceptiones: quia interdum evenit, ut exceptio, quæ prima facie justa videtur, tamen inique noceat.—2.º Contra actoris replicationem opponitur à reo duplicatio, et contra hanc ab actore triplicatio, et contra hanc à reo quadruplicatio etc. Ne verò in infinitum procedatur in replicationibus, iudicis erit terminum eis præfigere, sicut in *Cam. Imperiali* in dilatoriis non proceditur ultra duplicam, et in peremptoriis ultra triplicam. Accipe exemplum: convenio te ex locato, ut solvas mercedem; tu dices pactum fuisse de solvendo post duos annos (*hæc est exceptio*); contra opono transactionem, qua tibi remisi unum solidum (*hæc est replicatio*); tu dices huic transactioni

te consensisse ex metu (*hæc est duplicatio*); ego contra dico hunc metum fuisse vanum et levem etc. (*hæc est triplicatio*.); et sic de ceteris.

## TITULUS XXVI.

### DE PRÆSCRIPTIONIBUS. <sup>a</sup>

233. *Nota I.* In *Pandectis* rubricam scribi: *De usurpationibus et usucapionibus*, ordine præpostero; cum usucapio sit prior, posterior verò usurpatio, quæ est usucapionis interruptio (l. 2. ff. h. t.), adeoque prius agendum de usucapionibus, quam usurpationibus.

*Nota II.* Usucapionem et præscriptionem hodie synonymicè usurpari, postquam differentia inter res mancipi et non mancipi sublata est per *Justinianum* (l. un. C. *de nudo jure Quir. toll. l. un. C. de usucap. transfor.*) Ex modo tamen significandi, usucapio est modus acquirendi dominium: præscriptio verò est species exceptionis peremptoriæ, non quidem propriè talis, cum nullam præsupponat actionem de jure, quam perimat; sed impropriè talis seu facti, quia repellit actorem ab agendo, utpote actione destitutum. Quæ ratio sufficiens est, cur in jure Canonico et *Pandectis* post *tit. de exceptionibus*, subjungatur *titulus de præscriptionibus*, licet præscriptio latius sumatur etiam pro exceptione (*tit. ff. et C. de except. et præscript.*)

*Nota III.* Præscriptionem dupliciter sumi: *in fieri*, prout est actus continuativus possessionis necdum tempore completæ: quo sensu dicitur: *præscriptio non currit, dormit, interruptitur, etc.*; *in facto esse*, prout est jus quæsitum ex possessione legitimo tempore continuata: quo sensu definitur à *Modestino* (l. 3. ff. h. t.): *Usucapio est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti*. Dicitur *adjectio*, seu adeptio, vel *positiva* qua acquirimus rem vel jus alienum, et tunc utimur accusativo: v. g. præscripsi fundum, decimas, jus venandi etc.; vel *privativa* seu *extinctiva*, qua jus alienum in re nostra extinguimus, et tunc utimur dativo: præscripsi decimis, juri venandi. Dicitur *dominii*, latè sumpti pro quocumque jure. Per ceteras particulas intelliguntur requisita de jure necessaria ad præscriptionem, de quibus infra.

*Nota IV.* Præscriptionem dividi:—1.º In *ordinariam* seu longi temporis, qua res mobilis triennio, immobilis verò decennio inter præsentis, et vicennio inter absentes præscribitur; *extraordinariam* seu longissimi temporis, quæ tempore triginta vel quadraginta annorum completur; et

a.—Agitur de his in *Sexto h. t.*—In *Decreto* 16. q. 3. 4.—In *Institution. lib. 2. tit. 16.*—In *Pandectis lib. 41. tit. 3. usque ad 11. et lib. 44. tit. 3.*—In *Codice lib. 7. tit. 21. usque ad 41. Nov. 9.*

*immemoriam*, cujus initium excedit memoriam hominum, sive lapsum sit tempus centum, sive plurium aut pauciorum annorum.—2.º In *odium*, quæ in odium negligentiae et somnolentiae possessorum res suas non curantium introducta est, ut olim de jure civili praescriptio triginta annorum cum mala fide; *favorabilem*, quæ introducta est in favorem possidentis propter bonam fidem et justum titulum, uti triennis in mobilibus: et *mixtam*, quæ introducta est partim ob odium negligentis, partim ob favorem possidentis bona fide et juxta titulo: uti praescriptio decem vel viginti annorum.—3.º In *positivam*, qua jus alienum nobis acquiritur; et *privativam*, qua jus alienum in re nostra extinguitur: ut si praescribas servituti, quam vicinus habet in tuo fundo.

Nota V. Requisita legitimæ praescriptionis esse quinque:—materia apta praescribi, — possessio, — tempus, — titulus, — bona fides, juxta hunc versiculum:

*Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.*

### §. I.

De origine, justitia, subjecto et effectu praescriptionis.

234. Q. I. *Quo jure introducta sit praescriptio?*

R. Jure civili Romano ex *L. XII. Tabb.*, et ad praesentem formam reducta per constitutiones Justiniani, atque per jus Can. approbata et quoad bonam fidem reformata: ita constat ex integris titulis de usucapionibus (*tit. C. de usucap. refor.*), et in jure Can. *h. t.*, praesertim *c. 5. et fin.* Causa autem principalis introducendae praescriptionis fuit *bonum publicum*, ne rerum dominia manerent incerta et confusa (*l. 1. ff. h. t.*), ne tribunalia et possessores rerum continuis litibus vexarentur (*l. fin. ff. pro suo l. 7. C. de praescr. 30. vel 40. an.*), et cultura agrorum negligenter propter dubium dominium. Causa secundaria fuit, ut hoc modo excitaretur diligentia hominum ad res suas investigandas, et amissione dominii vel aliorum jurium puniretur socordia dormitantium (*l. 5. h. t.*)

235. Q. II. *An praescriptio sit justa in foro conscientiae?*

R. Affirmative: ita com. DD. contra Alciat. Adrian. et alios paucos. Ratio est, quia Princeps vi dominii alti ob gravem et publicam causam potest dominium ab uno subdito transferre ad alterum; hoc enim non excedit ejus potestatem, cum omnia bona subditorum deservire debeant communi bono et felicitati Reipublicae; sed adsunt graves et publicae causae mox enumeratae, quae militant pro justitia praescriptionis; ergo. Tum quia jus Canonicum approbat praescriptiones, et corrigendo malam fidem vult eas esse sine peccato mortali (*c. fin. h. t.*); ergo censet illas esse justas, non tantum pro foro externo, sed et interno. Unde qui legitimo tempore rem praescripsit, etsi postea nesciat rem fuisse alienam, licite

eam retinet, quia jam sua est, cum praescriptio dominia et jura ab uno ad alterum transferat.

Dices: Attento jure naturali, nemo debet cum alterius jactura locupletari (*reg. 48. in 6.*), et ideo Imp. Nov. 9. praescriptionem vocat *impium praesidium*, et *improbam temporis allegationem*.—R. Dicta regula, uti et jus naturale non extenditur ad casum, in quo suprema potestas ob causas publicas dominium ab uno transfert in alterum; tunc enim jure et sine ulla injustitia conceditur locupletatio ex re, quae antea fuit aliena; Imp. vocat praescriptionem *impium praesidium* pro eo tempore, quo praescriptio cum mala fide fiebat, etiam contra Ecclesias.

236. Q. III. *Quis et contra quem praescribere possit?*

R. Ad 1.º Regulariter omnis praescribere, qui et nomine suo rem alienam possidere, potest. Nam praescriptio generaliter est permessa omnibus; et sic praescribere valet infans, tutore auctore, pupillus vel minor etiam sine tutore aut curatore, si animum usucapiendi habeant (*l. 11. ff. de A. R. D.*), furiosus vel amens, si ante furorem vel amentiam possidere inceperunt (*l. 4. §. 3. ff. h. t.*) Econtrà, praescribere nequeunt infantes et rationis usu carentes, nisi eorum judicium ad principium possessionis suppleatur auctoritate tutoris vel curatoris (*l. 32. §. 2. ff. de acq. poss.*), uti nec illi, qui alieno nomine possident, ut coloni usufructuarii quoad proprietatem etc.

Ad 2.º Praescriptio procedit contra omnes, nisi specialiter excipiantur. Excipiuntur autem omnes illae personae, quae in judicio stare bona sua, administrare et defendere nequeunt: uti est pupillus, filiusfamilias quoad bona adventitia, captivus, prodigus, cui bonorum administratione interdictum est, nisi res praescribi cepisset ante prohibitionem, vel bona fide ad tertium pervenissent; nam non est aequum eorum bona praescribi, qui illa tueri non possunt.

237. Q. IV. *Qui sint effectus praescriptionis?*

R. 1.º *Acquisitio dominii*, non tantum utilis, sed etiam directi in rebus corporalibus, sive mobilibus, sive immobilibus. Ita com. contra Bart. Bald. Felin. docentes in rebus immobilibus praescribi solum dominium utile. Nam usucapio dicitur simpliciter *adjectio dominii*, quod pro principaliori significat directum. Num quia alias non obtineretur finis praescriptionum, cum circa dominium directum plurimae lites suscitari possent.—2.º *Exceptio*, non quidem juris et proprie talis, sed facti duntaxat, qua repellitur adversarius rem usucaptam repetens (*l. 11. C. de praescr. long. temp.*)—3.º *Actio realis*, saltem utilis pro vindicanda re usucapta (*l. pen. pr. C. de praescr. 30.*)—Ex his sequitur praescribentem fieri securum de acquisito jure tanquam suo; vel si praescriptio est privativa, de extincto jure alieno et propria libertate recuperata.

238. Q. V. *An pactis privatorum renuntiari possit praescriptioni?*

R. Affirmative; nam licet praescriptio introducta sit propter bonum publicum, tamen favorem privatorum concernit ultimato et in effectu; ergo huic favori renuntiari potest. Tum quia praescriptio tunc tantum est necessaria bono publico, dum contra alterum invitum exercetur, ne dominia

sint incerta, et lites oriantur; ergo si duo paciscantur, ne procedat usucapio, nihil præjudicatur bono publico, cum nec sequatur incertitudo dominiorum, nec litium multitudo, sed præcisè indultum à jure beneficium non acceptetur.

## §. II.

De materia, possessione et tempore ad præscriptionem requisitis.

239. Q. I. *Quæ res præscribi possint?*

R. Generaliter omnes, sive corporales, sivo incorporales, nisi specialiter excipiantur. Ex his aliæ ex natura sua, aliæ ex juris prohibitione, vel nunquam et à nullo, vel ordinario tempore et à quibusdam personis præscribi nequeunt; videlicet:

*Res natura sua præscribi non possunt, quæ sunt extra commercium humanum:—1.º Res sacræ, ut altaria, calices, templa, cæmeteria, monasteria etc. (§. 1. In. et l. 19. ff. h. t.); nam res istæ possideri nequeunt; ergo nec præscribi. At jus sepeliendi in certo cæmeterio est præscribibile (l. 6. ff. et l. 6. C. de Religios.)—2.º Res sanctæ, quæ speciali sanctione defenduntur à violatione hominum, ut muri et portæ civitatis (l. 8. 9. ff. h. t.), et Rom. Imperium, quod etiam *sacrum* dicitur.—3.º Res publicis usibus deputatæ, ut forum, plateæ, fontes, curiæ, theatra etc., licet populus uti eis desiderit (l. 2. ff. de via publ.)—4.º Homo liber, ut fiat servus (§. 4. h. t.); si tamen servus per viginti annos bona fide pro libero se gerat, præscribit servituti contra dominum, et fit liber (l. fin. C. de præscr. long. temp.)—5.º Jurisdictio *papalis* in totam Ecclesiam à Christo data summo Pontifici, uti nec aliæ, quæ sunt juris divini præscribi possunt: v. g. Sacramenta, actus ordinandi, confirmandi et alia pontificalia exercitia obeundi ab eo, qui non est tali characterè instructus. Sic neque quis matrimonium cum impedimento dirimente contractum præscribet, etsi longissimo tempore se pro marito gerat.—6.º Res meræ facultatis seu arbitrii, quæ citra ullam obligationem aut conventionem permittuntur: ut si sæpius ad prandium gratuito voceris, vel ludere in horto permittaris (l. 2. ff. de via publ.), nisi utens bona fide constituat se in quasi possessione juris exigendi tales actus.*

*Res ex prohibitione juris præscribi vetitæ sunt:—1.º Jura majestatis majora, quæ Principi dantur in recognitionem supremi principatus: ut esse exemptum à legibus, à judicio Principis, à vectigalibus etc., nisi quis desineret esse subditus. Minora autem regalia præscribuntur: ut jus eudendi monetam, indicendi tributa pro bello, legitimandi etc., modò sit præscriptio quadragenaria cum titulo, et immemorialis sine titulo (l. 4.*

*§. 2. ff. de publican.)—2.º Limites parochiarum et episcopatum (c. 4. de paroch. c. 9. h. t.), ne jurisdictiones confundantur et perturbentur. Ipsa tamen terra aut locus, ubi limes præfixus est, uti etiam limites prædiorum Ecclesiasticorum præscribi valent.—3.º Res pupillares, nisi usucapio completa fuisset pupillo adhuc in utero existente; quo casu pupillus habet beneficium restitutionis in integrum (l. 45. ff. de minor. l. 3. C. de præscr. 30, auth. nisi tricennale C. de bon. matern.)—4.º Juri visitationis et obedientiæ subditus non prescribit extinctivè, ut nulli subsit, sed tantum translativè, ut non huic, sed alteri Prælato pareat (c. 46. h. t.)*

*Res, quæ ex juris dispositione à certis personis præscribi non possunt, sunt:—1.º Res hæreditariæ aut communes, quæ antequam dividantur, ab uno cohærede aut socio non præscribuntur, cum nomine omnium possideantur (lib. 10 ff. quemadm. serv. amitt.)—2.º Jura spiritualia: ut eligendi, instituendi in beneficiis etc. à laicis non præscribuntur, quia nec possidentur (c. 7. h. t.); exceptis iis, ad quæ laici generaliter à jure habilitati sunt: uti est jus patronatus, sepulturæ etc.—3.º Beneficia Ecclesiastica in titulum obtenta sine titulo non præscribuntur à Clericis (c. 4. de reg. in 6.), et multò minus, ut ex beneficialibus fiant patrimonialia Clericorum.—Nec obstat c. 44 de jure patr. ibi: nisi legitima fuerit præscriptione munitus: nam ibi sermo est de beneficiis obtentis, quoad proprietatem, sicut quandoque monasteriis donari solent.—4.º Res furtivæ, vel vi occupatæ à fure, et malæ fidei possessore nunquam; à tertio verò bonæ fidei possessore, quamdiu affectæ sunt vitio reali furti aut violentiæ, usucapi non possunt, donec purgetur vitium reale per tempus longissimum 30 vel 40 ann., vel fur fiat hæres illius, cui furatus est (§. 2. 3. In. h. t. et l. 3. 4. C. de præscr. 30. l. 42. ff. h. t.) At si hæres bona fide rem, quam defunctus habuit commodatam aut locatam, vendendo vel in dotem tradat tertio bona fide accipienti, is ordinario tempore eam usucapiet, cum nullò vitio reali affecta sit (§. 4. In. h. t.). Nam in odium furti, lex XII Tab. et lex Attilia, et in odium violentiæ lex Julia et Plautia prohibuit usucapionem; ergo ubi non est furtum aut violentia, locus erit usucapioni. Sic etiam bonæ fidei possessor, licet ancillam furtivam non usucapiat, tamen partem ejus usucapere potest (§. 5. In. h. t.); quia ancilla, et non partus afficitur vitio reali furti. Dantur præterea aliæ res, quæ ordinario tempore non præscribuntur, de quibus infra.*

240. Q. II. *An, et qualis possessio ad præscribendum requiratur?*

R. Ad 1.<sup>m</sup> Affirmativè, ex l. 25. ff. h. t.: *sine possessione usucapio contingere non potest; et reg. 3 in 6.: sine possessione præscriptio non procedit.* Ex quibus natum est hoc brocardicon: *tantum præscribitur, quantum possidetur.* Sufficit autem in rebus incorporalibus quasi possessio, qua jura possideri dicuntur.

Ad 2.<sup>m</sup> Possessio ad præscribendum necessaria debet esse:—1.º *Nomine proprio* seu opinione domini, seu ut quis rem sibi tanquam suam possideat, sive deinde possessionem istam voces civilem, sive naturalem, de quibus vocibus hic non disputo: sic enim et solum dominium utile, et solus ususfructus et servitus præscribuntur. Id verò, quod quis alieno nomine

possidet non sibi, sed principali suo usucapit, ut colonus, inquilinus etc. —2.º Debet esse *continua* et non interrupta (§. 12. *In h. t. et c. 8 eod.*), quia interruptio contraria est præscriptioni; sufficit autem possessio, sive continuetur ab uno, sive successive à pluribus possessoribus, cum jus admittat accessionem temporum et possessionum; ita ut possessio antecessoris numeretur cum possessione successoris, si aliud non obstet. (*cit. §. 12. h. t.*)

241. Q. III. *Quantum tempus requiratur ad præscribendum?*

R. Pro varietate rerum quandoque requiritur tempus *breve*, quod est minus decennio; quandoque *longum*, quod est spatium decem annorum inter præsentis, et viginti inter absentes, qui in diversa provincia vel in notabili distantia sub diversis iudicibus ejusdem provinciæ morantur; quandoque longissimum triginta vel quadraginta annorum; et quandoque *immemoriale* ejus initii non datur memoria. Porro hoc tempus in usucapione rerum computatur civiliter, seu de die in diem (*l. 15. ff. de divers. et temp. præscript.*) ibi: *In usucapione ita servatur, ut etiamsi minimo momento novissimi diei possessa res sit, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus.* Idem docet Ulp. *l. 6. 7. ff. h. t.* At in præscriptione extinctiva actionum personalium tempus computatur mathematicè de momento ad momentum: ut si actor ultimo diei momento veniat, repelli non possit, *l. 6. ff. de O. et A. pr.: in omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus dies totus compleatur, non fuit obligationem.* Jam in particulari quærendum, quid quo tempore præscribatur,

242. Q. IV. *Quanto tempore præscribantur res corporales?*

R. 1.º Res mobiles, etiam pretiosæ, vel Ecclesiæ Romanæ cum titulo præscribuntur triennio, sublata annali præscriptione (*pr. In h. t. et l. un. C. de usucap. transfor.*); et quia dispositio ista non est correctæ per jus Canonicum, neque per *auth. quas actiones, C. de SS. Eccl.*, quæ solum loquitur de præscriptione immobilium, meritò DD. tenent res mobiles Ecclesiæ, etiam Romanæ præscribi triennio cum titulo; licet Abb. Host. Azor et alii idem privilegium attribuant rebus mobilibus, quod immobilibus Ecclesiarum. Id tamen rectè concedi videtur rebus valde pretiosis, cum hæ æquiparentur immobilibus. —2.º Res immobiles privatorum usucapiuntur decennio inter præsentis, et vicennio inter absentes cum titulo et bona fide (*cit. l. un. et l. fin. C. de præscr. long. temp.*); sine titulo autem spatio triginta ann. (*lib. 3. 4. C. de præscr. 30.*) Et quia de præscriptione rerum mobilium sine titulo, nullum speciale jus est proditum, sequitur et istas sine titulo usucapi spatio triginta ann.

243. Q. V. *Quanto tempore res corporales privilegiatæ præscribantur?*

R. 1.º *Bona fiscalia* jam ærario principis incorporata, non præscribuntur longo tempore (§. 9. *In h. t.*), sed longissimo quadraginta annorum (*arg. l. 4. C. de præscr. 30.*); ubi statuitur omne jus sive privatum sive publicum spatio quadraginta ann. extingui. At bona fisco non incorporata, si quidem ei denunciata non sint, usucapiuntur longo tempore 40 ann. (*l. 18. ff. h. t.*); si verò denunciata sint, præscribuntur contra fisco quadriennio (*lib. 1. C. de quadr. præscr.*) Quòd si ex delicto sint fisco aper-

ta seu *commissa*: v. g. ob vectigal non solutum, quinquennio præscribuntur contra fisco (*l. 2. C. de vectigal.*) Illud privilegium fisci (§. *fin. In h. t. et l. 2. 3. C. de quadr. præscr.*), ut emens à fisco statim securus sit et fiat dominus rei emptæ, hodie non viget, teste Perez, quem laudat Koes in *cit. §. fin. h. t.*; atque ita possessor, qui rem alienam emit à fisco vel principe, conveniri potest, teneturque laudare auctorem. —2.º Ut res allodialis in feudalem, et feudalis in allodiam, vel feudum ab uno vasallo in alterum transeat, requiruntur 30 anni (*2. F. 26. §. si qui verò.*)— Cui non obstat *2. F. 40. præterea ibi: nulla obstante præscriptione revocare.*— nam textus iste intelligitur de præscriptione ordinaria longi temporis. —3.º *Res alienari prohibita* absolute: ut majoratus, primogenituræ, fidei-commissa, prædia dotalia non inducuntur, nisi spatio 40 ann. cum titulo, et tempore immemorali sine titulo. Ut verò extinguantur in præjudicium successorum, videtur requiri tempus immemorale, propter prohibitionem alienationis à primo instituyente factam: ita Covar. Fachin. et alii, licet circa hæc maxime attendi debeant locorum statuta et coasuetudines. —4.º *Res minorum* non usucapiuntur, nisi spatio triginta annorum (*l. 3. C. de præscr. 30.*)—5.º *Res civitatibus* vel pagis donatæ, venditæ aut legatæ, sed necdum traditæ, non præscribuntur, nisi spatio centum annorum (*l. 23. c. de SS. Eccles.*); neque hoc privilegium coarctatum est ad 40 annos per *Auth. quas actiones eod.*; nam Authentica ista loquitur solum de Ecclesijs, non de civitatibus. —6.º Res immobiles Ecclesiæ Romanæ, uti et jura particularia eis coherentia non præscribuntur, nisi spatio centum annorum. Ità *c. 43. 44. 17. h. t. c. fin. eod. in. 6. et Auth. quas actiones C. de SS. Eccl.*; quibus juribus cedere debent anteriora, quæ in hoc puncto vel sunt ambigua, vel minus quid contra Ecclesiam Romanam concedunt. Hoc privilegium continet sub se jura exemptionum Sedi Apostolicæ quæsita, jura feudorum et alia similia. Si tamen vasallus alius præ alio præstaret obsequia Ecclesiæ Romanæ scienti, sufficeret præscriptio 30 annorum, cum per hoc nullum præjudicium fiat Ecclesiæ, sed tantum vasallo alteri. —7.º Res immobiles aliarum inferiorum Ecclesiarum præscribuntur spatio 40 annorum: ità *c. 4. 6. h. t.* ubi corriguntur jura anteriora à *Can. 1. 2. etc. 16. q. 3.*, quibus tantum 30 anni concedebantur; jus verò civile concedens præscriptionem centenariam (*l. 23. C. de SS. Eccl.*) correctum est per *seq. auth. quas actiones eod.* Hæc quadragenaria præscriptio competit omnibus monasteriis et locis Religiosis; imò ex novis privilegijs, quæ monasteriis Cisterciensibus data et à Leone X et Pio IV Ordinibus mendicantibus communicata sunt, sola centenaria præscriptio procedit contra illa (*Rodriq. qq. Regg. tom. 1. q. 36 ar. 3.*) Sed privilegium hoc non extenditur ad bona propria Clericorum, nisi essent bona indivisibilia communia Ecclesiæ et Clerico; tunc enim Ecclesia privilegiata traheret ad se Clericum non privilegiatum (*arg. l. 10. ff. quemadm. servit. amitt.*) Hæc de rebus corporalibus.

244. Q. VI. *Quanto tempore res incorporales, jura, actiones et obligationes præscribantur?*

R. 1.º Omnis servitus rustica et urbana, usufructus, usus, habitatio,

jus venandi, piscandi etc., regulariter acquiritur præscriptione ordinaria 10 vel 20 annorum cum titulo (*l. fin. in fin. C. de præscr. long. temp. l. 1. C. de servit.*—Nec obstat *l. 14. ff. de servit. l. 4. §. fin. ff. et l. 43. §. 1. ff. de A. R. D.*; nam lex Scribonia prohibens usucapionem servitutum sublata est per jura posteriora. Quia verò in servitute discontinua, ut itinere, via, actu, usus non facile admittitur, plerùmque ad eam sine titulo præscribendam requiritur tempus longius, licet ordinarium sufficere dicant Fachin. Struv. et alii ob generalitatem jurium *citt. et l. 5. §. pen. ff. de itin. actuque priv. et l. 10. ff. si servit. vind.* Eodem tempore quo acquiruntur, etiam præscriptione extinguuntur servitutes et similia jura (*l. 13. C. de servit. urb. præd.*), modo tamen diverso. Nam servitutes rusticæ amittuntur solo non usu; at servitutes urbanæ non amittuntur, nisi vicinus facto contrario, quo se constituat in quasi possessione sua libertatis, bona fide incipiat et compleat jus libertatis, v. g: obstruendo foramen quo lignum esset immittendum, altiùs tollendo ædes etc. Vide Civilistas ad *tit. de servitutib.*

2.º Si jus commune resistat præscribenti, et positivè assistat ei, contra quem præscribitur, fundando ejus intentionem, jus aliquod non præscribitur, nisi 40 annis cum titulo, et tempore immemoriali sine titulo. Ita expressè decedit Bonif. VIII *c. 1. h. t. in 6*, quo proinde jura auteriora *c. 6. et 13. h. t.*, si quid contrarium statuunt, reformantur. Nam in tali casu jus præsumit malam fidem in præscribente, nisi præsumptio ista elidatur per ostensionem tituli, vel per possessionem privilegiatam temporis immemorialis. Sic, quia Episcopo jus assistit quoad jurisdictionem in omnibus Ecclesiis suæ diocesis (*tit. de Religios. dom.*), et parochio quoad decimas suæ parochiæ (*c. fin. de rest. spol. in 6.*), nec jus decimandi, nec jurisdictionis aut alia jura Episcopalia præscribuntur, nisi 40 annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo. At si jus resistat præscribenti, non autem positivè assistat ei, contra quem præscribuntur aliqua jura, sufficiunt quadraginta anni, nec opus est allegare vel probare titulum: ita Gloss. *c. 1. h. t. in 6.* Laym. Schmalz et alii contra Abbatem, qui etiam in hoc casu requirit allegationem tituli. Nam si jus commune positivè non assistat petitori, contra quem præscribitur, hoc ipso efficaciter non resistit possessori præscribenti, cum petitor non habeat intentionem fundatam in jure. Unde monasterium contra aliud monasterium præscribit 40 annis jus decimandi in tertia parochia, quin necesse sit probare titulum. Ceterum, ut præscriptio ista procedat, jus non debet resistere inhabilitando, sicut laicus inhabilitatur ad possidenda et præscribenda jura spiritualia (*c. 7. h. t.*); tunc enim nullo tempore præscribitur, sed resistere solùm prohibendo, dum subjectum aliàs est capax possidendi talia jura.

3.º Actiones reales conformiter rebus mobilibus vel immobilibus, vel incorporalibus positivè vel privativè, præscribuntur spatio 3 vel 40 aut plurium annorum, sicut ipsæ res; nam actio realis sequitur conditionem rei.

4.º Actiones personales ex contractu regulariter extinguuntur spatio 30 annorum, saltèm si debitor bona fide contradicat petitioni creditoris,

et ita constituat se in quasi possessione suæ libertatis, seu immunitatis à debito. Ita *l. 3. C. de præscr. 30.*, ubi emendatur jus antiquum; quo nulla dabatur præscriptio actionum personalium. Excipe:—I. Actiones competentes Ecclesiis et piis locis; quæ non extinguuntur, nisi præscriptione quadragenaria, vel centenaria respectu Ecclesiæ Romanæ, (*Auth. quas. actiones, C. de SS. Eccl.*)—II. Actionem hypothecariam creditoribus pro re hypothecata competentem, quæ quidem realis est fundata in jure reali hypothecæ, sed non extinguitur à debitore vel ejus hæredibus, nisi 40 annis (*l. 7. C. de præscr. 30.*) At si tertius non creditor rem pignori suppositam bona fide cum titulo possideat, præscribit eam ordinario tempore; triennio, si res mobilis, et decennio inter præsentem; vicennio verò inter absentes, si res immobilis sit (*cit. l. 7. §. 1. et l. fin. C. st advers. vend. pignor.*)—III. Actionem redibitoriam, quæ post semestre, et quanti minoris, quæ post annum non tam præscribitur privativè, quam negatur pro foro externo, remanente obligatione naturali in venditore ad reparandum damnum, quod sentit emptor ex re vitiosa empta (*l. 1. et seqq. ff. de ædilitio edict.*)—IV. Querelam inofficiosi, quæ quinquennio extinguitur (*l. 34. ff. de inoff. test.*), et actionem *pro legatis*, quæ 30 annis contra legatarium præscribitur (*l. 3. §. 3. C. commun. de legat.*); actionem, quæ datur reipublicæ contra quæstorem, vel administratorem post rationes subscriptas: nam hæc 20 annis à quæstoribus, et 40 annis ab eorum hæredibus præscribitur contra rempublicam (*l. 13. §. 1. ff. de divers. temp. præscr.*) Cetera de his vide *tit. C. de præscr. 30.*

5.º Actiones personales, seu obligationes ex delicto regulariter privativè præscribuntur spatio 20 annorum (*l. 12. C. ad l. Corn. de fals.*), ac proinde hoc tempore elapso, nec accusatio, nec inquisitio institui potest. Excipitur:—I. Actio injuriarum, et ferè omnis actio prætorica pœnalis, quæ uno anno extinguuntur (*l. 5. C. de injur. l. 35. ff. de O. et A. et pr. In. de perpet. et temp. act.*)—II. Actio ad accusandum adulterium et alia delicta carnis, quæ quinquennio consumitur; uti et actio de peculatu (*l. 29. §. 6. ff. ad l. jul. de adult. et l. 7. ff. ad l. jul. peculat.*)—III. Actio doli, cui biennio præscribitur (*l. fin. C. de dol. malo. excep.*) Certa tamen delicta ob enormitatem sui nullo unquam tempore præscribuntur: ut hæresis, crimen læsæ majestatis, assassinii, falsæ monetæ, parricidii, stupri, suppositi partus (*l. fin. ff. ad l. Pompej. de parricid. 29. §. fin. ff. ad l. jul. de adul. l. 19. §. 1. ff. ad l. Corn. de fals. l. 2. 4. C. de apostat.*) etc.

245. Q. VII. An pensionibus annuis præteritis præscribatur omnibus simul spatio 30 annorum?

Negant Mynsing. Layman et alii; imò Kees, Hunnius, etc. dicunt futuris obligationibus nullo modo præscribi, præteritis verò successivè pro singulis annis. Sed:

R. Affirmativè: ita Durand, Chling, Hannol, Schmalz. et Pichler, qui sicut in aliis, ita et in hac controversia solidè procedit. Prob. ex *l. 26. C. de usuris*, ubi Justin. rescribit spatio 30 vel 40 ann. extingui non tantum sortem, sed etiam usuras annuas præteritas et futuras. Ratio est ex eadem lege, quia præstationes annuæ non debentur, nisi dependentes